IO. IACOBVS FICKIVS,

PHILOS. ET MED. D. ANATOM. CHIRVRG.
ET BOTAN. PROF. P. ARCHIATER SAXON.

ORDINIS SVI PRO-DECANVS

PROGRAMMATE AVSPICALI

DE

CALCE VIVA

CLARISSIMI MEDICINAE CANDIDATI

CHRISTIANI HENRICI DEESEN

GROENINGA-HALBERSTADIENSIS

DISPVTATIONEM INAVGVRALEM

INDICIT.

IENAE, LITTERIS RITTERIANIS.



 





I de aliquo lapide in India, refert *Augustinus lib. 21. de civitate Dei cap. 4.* narrarentur, quæ in calce quotidie videmus, vix fortaſſe fidem haberemus, & fere pro miraculo crederemus. Nam calx viva accenditur aqua, inquit *Plinius II. histor. natur. lib. 33. cap. 23,* & Thracius lapis, itemque oleo reſtinguitur, miraturque aliquid, cum arſerit, accendi aqua; quod concrematum ſemel eſt, frigida fervefieri & inardeſcere. Bene itaque agunt, qui in eiusmodi concretum accurate inveſtigant, licet noto notius ſit, & reſpectu modi conficiendi vſusque mechanici manifeſtiſſimum. Uſus quosdam obiter tangere volumus, quorum gratia ſufficit, ſi nouerimus, latere in ea duplex ſal, acidum & alcali, hoc tamen maxime prævalere: aut contineri in ea terreo-igneum volatile, quod totum in aquæ calcis vivæ

evapo-

evaporatione in auras vibratur, ne particula quidem fixæ materiæ relicta: vel ipsi sal inesse sui generis, volatile, intime cum terra primæva & Adamica connexum, in lixivio facile exspirabile. De salina dispositione omnes loqvuntur effectus, & si non fallor, testimonium fert sacchari depuratio, seu, refinatio.

Arundo saccharifera calamis se erigit septenum aut octonum pedum, pollicis crassitie, fungosa, succulenta, dulcis albæque medullæ plena: folia illi duos cubitos longa, flos comosus, radix svavis minusque lignea, quæ germina protrudit in novæ messis spem. Evulsæ arundines mundatæque a frondibus, in taleolas palmi longitudine inciduntur. Sic incisis prelo extunditur liquor, qui aheno exceptus & aqua dilutus statis horis coquitur, despumatusque ac evaporante humore aqueo fictilibus vasis, quæ pyramidis formam referunt, infusus, instar salis concrescit. Ast puriori & magis defecato studetur novis operis coctionibusque. Saccharo namque impuriori lixivium calce viva maceratum affundunt, vt & albumina ovorum, continuaque agitatione spumantem humorem mellea & sordida pinguedine despumant. Interea ferventis sacchari ebullitiones super effusionem minantes injecto butyro castigant, tum coctum liquorem, lixivio nondum absumto, transmittunt per ciliceum, & donec absumtum fuerit lixivium, rursus effervescere sinunt, inde infundibulis accipiunt, elabente iterum crassiore syrupo, & reliqua substantia mox arescente. *Barlæus in tractatu, res Brasiliæ p.122.* Ita si nimia calcis & fortis lixivii efficacia exacuatur, adeoque purius, candidius, firmius, simul tamen acrius, calidius & magis rosivum, visceribus infestum, reddatur

sacchá-

saccharum, balsamicis sacchari particulis destructis, valetudini minus proficuam induit naturam, nam lixivii expers intensius dulcificat, ingenitis viribus melior, adeoque in pulvere melius est compacto in formas candido.

Ita multorum est opinio, quæ tamen infirmo stat talo. Calx quidem viva valde acris est, non æque vero aqua ejus extinctoria, quæ igne evaporata nullum sal relinquit, & per se contra varios in & externe citra noxam & ullum acrimoniæ lædentis vestigium usurpatur morbos. Nullum ergo sal acre & igneum saccharo communicat, aut saltim erit tantillum & nullius efficaciæ, cujus pars maxima, si adesset, cum spuma aut ipso syrupo a concreta sacchari parte separaretur.

Longe aliter comparatum est cum calce viva in substantia, pestis enim tempore, vel in magna hominum clade brutorumque feralibus morbis imperatur non solum, vt demortuorum corpora profunde in terram humentur, sed quoque multa calce viva cumulentur. Quod identidem fiat in cryptis concameratis, quin ipsi ferali arcæ in templis ac cœnobiis illa iniiciatur, quæ arida & salina terrestreitate exsiccet, & consumat omnem humiditatem cum carnibus vi salis caustici. Novit hoc vulgus Patavinum in Italia, quod hibernis mensibus, simulac amici animam exhalarunt, calce viva aspersa ita exsiccat defunctorum corpora, vt ad sectiones anatomicas fiant inutilia, ceu *Thomas Bartholinus in histor. anatom. pag. 107.* proponit. Sed jam accedimus ad Clarissimi Domini Candidati vitam & studiorum rationem. Nempe

 CHRI-

CHRISTIANVS HENRICVS DEESEN,

Natus eſt Grœningæ, quod oppidum in Principatu Halberſtadienſi ſitum eſt, anno 1698, d. 31 Januarii, Patre *Georgio Deeſio*, Viro integerrimo & Camerario illius loci meritiſſimo: matre autem *Anna Maria*, nata Ladenſakin, matrona virtutum laude eximia, pronuper demortua. Parentes hi nihil prius habuerunt, quam vt in pietate & probis moribus prima ætate educarent filium ſuum, dum ad doctrinas & artes idoneus addiſcendas Præceptoribus traderetur erudiendus, & primum in ſchola patria, ubi egregiam adhibuit diligentiam. Signa oſtendit felicis ingenii, & quos profectus ſit facturus, clara ſatis dedit indicia.

Parentis mors, quæ in illa pueritiæ incidebat tempora, ipſius animum non frangebat, quin potius ampliorem ſibi in literis elegantioribus campum quærens, Quedlinburgum ſe recipiebat, & in Gymnaſio, quod ibi floret, utebatur privata & ſolida informatione Domini *Vogtii*, Sub-Conrectoris, viri non mediocriter docti, jam b. m. Poſtea ibi clariſſimos nactus ſtudiorum ſuorum moderatores, Rectorem *Eckardum*, Philoſophiæ Magiſtrum, & Conrectorem *Hornium*, de Muſis Quedlinburgenſibus Viros meritiſſimos, quorum opera tantos fecit progreſſus, ut ei acroaſes adire liceret.

In alma Salana anno M DCC XX, calendis Nouembris, receptus eſt in numerum Studioſorum, a Pro-Rectore

eo

eo tempore Magnifico, *Michaele Fœrtſchio*, SS. Theol. D. & Profeſſore Seniore b. m. Et quo rite in ſtudio ſuo procederet, fundamentum Medicinæ in Philoſophia poſuit, frequentavit ergo Domini *Johannis Jacobi Syrbii*, Philoſophiæ primæ & rationalis PP. celeberrimi collegia, nec non Dom. *Griſchovii*, Adjuncti Facult. Philoſ. Senioris meritiſſimi, lectiones mathematicas. Salutarem artem poſtmodum aggreſſus convertit ſe ad Dom. *Georg. Wolfg. Wedelium*, b. m. Chym. & Prax. Profeſſorem longe celeberrimum, Conſiliar. aulic. & Archiatr. feliciſſimum, materiam medicam & Chymiam tunc ſolidiſſime exponentem. Haud minori deſiderio & diligentia ſectatus ſimul eſt Dom. *D. Joh. Adrianum Slevogtium*, nunc Chym. & Prax. P. P. celebratiſſimum, Facultatis noſtræ Seniorem venerandum, in Oſteol. & Chymicis demonſtrationibus occupatiſſimum. Laudis pariter multum & emolumenti attribuit Excellentiſſimi, *Joh. Adolphi Wedelii*, theoretices P. P. Conſiliarii & Archiatri Saxon. & Academiæ Nat. cur. Collegæ, fideliſſimæ informationi, a cujus ore aſſidue pependit. Progreſſus haud contemnendos, quos Noſter fecit in Medicina, auxit induſtria & cura Viri Excellentiſſimi, Dom. *D. Friderici Hermanni Teichmeieri*, Medicinæ & Phil. experiment. P. P. O., ac Hatzfeldenſis Archiatri, cujus hoſpitio uti licuit per aliquot annorum ſpatium, quo abunde in laboribus Chym. & Practicis exercitus fuit, vt alia taceamus. Interfuit quoque publicis prælectionibus Dom. *D. Simonis Pauli Hilſcheri*, Med. P. P. O. dum multa ad artem ſpectantia egregia pronunciabat. Tandem vt de me pauca ediſſeram, ingenue fatetur, ſe adſtitiſſe mihi, demonſtranti publice characteres plantarum novos, & pronuper diſſe-

canti

canti in theatro publico utriusque ſexus cadavera, & notabiliora abunde monenti. Ab arte ſalutari rite inſtructus, ad praxin ut progrederetur, abiit Rudolphopolin. Cum igitur Deo & proximo non ſine fructu inſervire ſe poſſe deprehenderet, Doctoralem ambire Tiaram non dubitavit. Acceſſit itaque Facultatem noſtram & honeſtum ſuum deſiderium, quo in Candidatorum numerum reciperetur, decenter expoſuit. Morem geſſimus illi, talemque in ſolennibus explorationibus invenimus, cui ſuo merito cathedra aperiretur ad diſſertationem inauguralem, *de vi naturæ humanæ medica*, ſub præſidio Viri Excellentiſſimi Domini *Joh. Ad. Wedelii*, publice habendam d. XXIII. Jun. Cui ſolennitati ut Magnific. Dominus Pro-Rector, illuſtriſſimus Comes de Reus, Aulæ & Acad. Proceres, omnium ordinum Doctores venerandi, Sacrorum Antiſtites, & Nobiliſſima Studioſorum Corona frequentes interſint, ea, qua decet, ratione & animi obſeruantia, oro atque contendo.

P. P. Jenæ, d. XVII. Jun. M DCC XXV.

ſub ſigillo Facultatis.

